

V. ANHANG

Ausgewählte Texte

1. Über Ps 135,17f: Gegen die Bilderverehrung

(J 291 v bis 292 r)

Vgl. o. S. 34 ff.

... *Non est spiritus, id est spiracio, in ore ipsorum*, sicut vulgares stolidè fabulantur de fictis miraculis in ymaginibus Christianorum que desudant, loquuntur ex virtute numinis inexistentis, et sic de ceteris ficticiis, quibus vulgus deluditur propter cecam devocionem stolidorum et candentem cupidinem clericorum. Unde secundum Lyncolniensem super primo mandato hos omnes bene dicit scriptura deos alienos, quia alienus est qui natus alicubi productus est alio loco, ubi nihil adhuc iuris vel iuste possessionis nec permanentem mansionem inter indigenas acquisivit. Omnia autem vel que formavit dei creacio vel confinxit ymaginacio vel que fabricavit artificis operacio nata sunt non in divinitatis natura, sed extra. Non enim sunt naturaliter dii nec veri dii. Si ergo natura divinitatis intelligitur velut quedam regio, manifestum est quod extra hanc regionem tria genera predicta nata sunt. Sed ab infidelium opinione in hanc regionem, que non est regio sue nativitatis, adducta sunt, in qua nichil sibi ex iure aliquo participandum, cum nichil indigenis huius regionis, que indigene sunt, sole tres persone summe trinitatis vindicare possunt [Bis hierher Zitat aus Grosseteste, vgl. McCristal 591]. Asseritur sensus istius doctoris in lege dei, in omnibus libris et prophetis novi et veteris testamenti. Primo de diis patriarcharum in Ur Chaldaeorum et de diis Sichimorum, unde Ge. 35° Jacob congregata omni domo sua, dum purgaret suos, invenit deos Laban, ut ait Josephus. Neque sciebat, quod Rachel celasset. Et ait suis *Abicite deos alienos et mundamini et ascendamus in Bethel*. De Sichem etiam tulerant ydola et in aures id est ornamenta ydolorum, que omnia fodit Jacob substantialiter terebintum. Non igitur Christiano fideli absurdum videatur sculptilia moderna deos alienos vel ydola esse dicenda, precipue cum colantur et adorentur tanquam dii gencium, cum nec eciam ymaginariam Christi vel sanctorum